



* Diese Ausg. 10 g
Lg

1035

EXERCITATIO PHYSICA
DE
QUÆSTIONE
AN LUMEN
SIT CORPUS?

QUAM
Aspirante divino Numine

ET
Consentiente Amplissimo Philoso-
phorum ordine,

IN ILLUSTRIS ALANA
SUB PRÆSIDIO

M. MELCHIORIS *Zeitlerii*
REGIOMONT.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
EXPONIT

JOHANNES QUIRINUS HEDENUS
ARNSTADIA-THURINGUS.

Ad diem Julij.

LOCO ET HORIS SOLITIS.

3 E N Æ,
TYPIS CHRISTOPHORI KÜCHEMIL,
Anno M. DC. LVI.

XIII.

7

EXERCITATIO PHYSICA

QUESTIONS

AN LUMEN

SIT CORPUS

Abitare divino Numine

Conferentia Aristotelis Philosophi

IN VITAE SAEVAE

SUI PRESIDIO

M. MELCHIORIS

REGIOMONT.

PUBLICO ERUDITIONUM EXAMINE

EXAMINAT.

JOHANNES QUINQUE HEDENUS

ARXSTADIA THURINGENS.

1700

Loco et nomine solitis

J. N. A.

Typis Christiani Koenigii

Anno M. DC. LXX.



EXERCITATIO PHYSICA
DE

QUÆSTIONE.
AN LUMEN SIT CORPUS?

§. I.

PUlcerrima sanè, si ulla alia, est contempla-
tio luminis, utpote cujus virtute conservantur &
excitantur quæcunq; in universo orbis hujus thea-
tro nascuntur, non aliter ac Struthii aspectu, si mo-
dò non fabula hæc est inter mirabiles auscultatio-
nes referenda, ova foveri traduntur, quod luminis
elogium est à *Plotino* & *Proclo* Philosophis in *Aca-*
demia nemine inferioribus decantatum. Nihilominus ut in aliis
locum invenit proverbium illud *Græcorum*: χαλεπὰ τὰ καλὰ, de
quo inter alios *Plato* in *Cratylo* & in fine *Hippiæ maj*: Sic & hic vel
maximè. Ut eni in oculi vespertilionum ad jubar Solis coru-
scum: Ita oculi intellectus nostri in corpore hoc ceu squalidissimo
carcere detenti ad radios, quos inaccessa luminis vis in illos dif-
fundit, cœcutiunt. Hinc factum ut in pervestiganda naturâ lumi-
nis in tot diversas ingeniosissimi etiam abierint sententias, his sub-
stantiam, illis accidens lumen esse censentibus. Quanquam
neutri horum cavere sibi potuerint, quin & ipsi dogmatum divor-
tiū facerent. Nam qui accidens lumen esse existimant, eorum ali-
qui in motu rationem ejus locant, quicquid etiam contra *Aristote-*
les olim, dicens: τὸ εἶναι τι τὸ φῶς εἶναι, ἀλλ' ἔκ κινήσεως τις, lib. de sen-
sū c. VI: alii autem qualitatem dicere malunt, hi quidem realem: ac
illi intentionalem. Rursus qui inter substantias id numerant, eo-
rum nonnulli immaterialem id esse substantiam credunt; alii au-
tem corpus, vel, ut ipsi loqui amant, corpusculorum aut ramento-
rum lucentium effluvium. Quorum decreta ad veritatis limam

Plato in
VII. de
Repub.

revocare nunc animus est: residuorum examen alii occasione re-
servantibus.

lib. 4.

§. II. Ne verò fingere adversarium nobis videamur, non abs-
re fuerit unum atq; alterum istius dogmatis nominare auctorem.
Sensisse igitur ita *Empedoclem* liquet ex iis, quæ de eo narrat *Philo-*
sophus noster in u. de An: c. VII. Hunc deinceps sequutus *Epicurus*, ex
cujus disciplina ad istum modum cantillat *Lucretius*:

— — — rerum simulacra vocamus,
Quæ quasi membrana summo de corpore rerum
Direpta, volitant ultrò citroq; per auras.

Nec desunt ex recentioribus, quibus opinio hæc valdè arridet.
Non adducam modò in proscenium *Sebastianum Bassonem*, qui in
II. de cælo *Intent. II.* satis prolixè contra *Aristoteles* pro illa dispu-
tat. *Adriani Turneb.* saltim Gallorum panè doctissimi mentionem
injiciam non dubitantis asserere lumen esse corpusculorum quorun-
dam splendentium effluviium, quod à Sole effluens inanitates & canales
aëris interdum repleat & instet, noctu verò vacuas & conniventes dese-
rat. Naturam enim non adeò horrere vacuum, quin minusculum ali-
quod libenter admittat.

pag. 483.

§. III. Sunt, qui inter veteres Philosophos lumen esse cor-
pus credentes *Platonem* etiam numerant: forsan quia in *Timeo* di-
xit lumen esse speciem ignis: item ex lumine prodeunte ex oculis
& extrinsecus adventante unum confici corpus. Placet ipsius ad-
scribere verba & aliorum de iis expectare judicium: τῶν ὀφθαλμῶν
πρῶτον μὲν Φωσφόρος συνετεκτήησαντο ὄμματα, τοιαῦτα ἐνδύσαντες
αἰτία: τὸ πρὸς ὅσον τὸ μὲν καίειν, οὐκ ἔχει, τὸ δὲ παρέχειν Φῶς ἡμε-
ρον οἰκίον ἐκάστης ἡμέρας σῶμα ἐμμηχανήσαντο γίνεσθαι τὸ γὰρ ἐν-
τὸς ἡμῶν ἀδελφὸν ὃν τέτρα πῦρ εἰλικρινές ἐποίησαν, ἀπὸ τῶν ὀμμά-
των ῥεῖν λεῖον καὶ πυκνόν, ὅλον μὲν, μάλιστα δὲ τὸ μέσον ζυμπλή-
σαντες τῶν ὀμμάτων ὥστε τὸ μὲν ἄλλο, ὅσον παχύτερον, σέγειν πᾶν,
τὸ τοιοῦτο δαιμόνιον αὐτὸ καθαρὸν διηθεῖν. ὅταν ἐν μεσημεριῶν ἢ Φῶς
πρὸς τὸ τῆς ὀφθαλμοῦ ρεῦμα, τότε ἐκπίπτον ὁμοίον πρὸς ὁμοίον ζυμπα-
γὸς γενόμενον, ἐν σῶμα οἰκισθὲν, ζυνέστη καὶ τὴν τῶν ὀμμάτων εὐ-
θυορῆαν, ὅππῃπερ ἂν ἀντερείδῃ τὸ πρὸς πῖπτον ἐνδοθεν, πρὸς δὲ τὸ ἐξω
ζυνέπεσεν. Hoc est, interprete *Marsilio*: Ex omnibus faciei partibus
primi luciferi oculorum orbis coruscant, hæc causâ duelli (ut naturale
homi-

hominis imperium esset penes anteriorem faciei partem). Ignis certe illius, qui non urit quidem, sed illuminando suaviter diem inveltis mundo, participes oculorum orbes Dii fecerunt. Intimum siquidem corporis nostri ignem hujus ignis germanum sincerumque, per oculos emanare voluerunt, in quibus lenis congestusque, ubique ignis hujusmodi sit, sed per eorum duntaxat solidiorem angustamque, medietatem ignis purior evolet, crassior vero cohibeatur. Itaque cum diurnum lumen applicat se visus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia atque commixta, quod oculorum acies diriguntur, ibi in unius jam domestici corporis cohaerent speciem, ubicunque, videlicet tam intimi quam externi luminis sit concursus. Haec tenus verba Platonis. Quibus sane, si τὸ ῥητὸν sectemur, & ignem quendam lumen esse dicit, atque lumen prodiens ab oculis & a re visibili profluens in unum coire corpus. Et nescio an lib. II. de non illa ipsius Philosophi: τί μὲν ἐν τῷ Διαφανῆς καὶ τί τὸ Φῶς, εἴρη- Ansc. VII. ται. ὅτι ἔτε πῦρ, adversus Platonem directa sint. Ita quidem existimat Simplicius in comm: doctissimo, quem in lib: de An: scripsit: καὶ περὶ τῷ Διαφανῆς, ἀλλὰ περὶ τῷ Φωτὸς τῆτο ἐπάγων, καὶ περὶ τὸν τίμοιον ὑποτεινόμενον. Nisi forsitan dicendum sit profundioribus verbis antè ex Platone adductis subesse sensum, de quo alias.

§. IV. Id merito miramur esse quosdam, qui ipsum Aristotelem in veterum sententiam pertrahere conentur, quasi non clara factis sint verba ejus, quae in II. de An: c. VII. leguntur: εἴρηται ὅτι (τὸ Φῶς) ἔτε πῦρ, ἔθ' ὅλως σῶμα, ἔτε ἀπορροή σῶμα ὕδενός· εἴη γὰρ αὖν σῶμα τι καὶ ἔτως. Dicitur est quod lumen non sit ignis, nec omnino corpus, nec effluviū ullius corporis: quandoquidem sic quoque esset corpus quoddam. Quomodo, quaeso, clariū diffensum suum ab Empedocle aliisque indicare potuisset quam his ipsis? Moventur tamen isti loco aliquo ex Probl: petito: Quærit ibi Philosophus cur nox ad sect. XI. audiendum aptior sit quam dies? & respondet inter cætera: πότε- probl.ρον διότι Δια τῷ κενωτέρος μάλλον ἀκρῶν ὄσιν. ἢ Δια τῷ πλήρη; XXXIII. ἐστὶ δὲ τῆς ἡμέρας, ὁ αἶρ πικνός, ἀτε πεπληρωμένος ὑπὸ τῷ Φωτὸς καὶ τῶν ακτίνων τῆς δὲ νυκτός, ἀραιότερον, Δια τὸ ἀπεληλυθέναι ἐξ αὐτῶ τὸ πῦρ καὶ τὰς ακτίνας, σῶμα ὄντα, H. c. An quod per inanius facultas audiendi amplior quam per plenius datur? Est autem aër interdū densus, ut qui luce radiisque refertus sit: noctū autem rarior; quod ex eo ignis & radii decesserunt, quæ corpora sunt. At non potest

est iis esse ignotum, *Philosophum* in problematibus resolvendis non ubique ex propriis progredi principiis, sed sæpè ex aliorum. Neq; n. opus hoc, cui problematum titulum dedit, *Aeroatomicis* ejus scriptis annumerandum est, quibus οἰκείας & πεπαιδευμένες ἀρεσάτας erudit & semper τῇ ἀποδεικτικῇ μεθόδῳ κέχρηται, quæ *Ammonii* verba sunt h. e. *demonstrativa methode utitur*: quæ quidem ex veris, primis, immediatis &c. ad alia proficiscitur *lib. i. de dem. c. ii.* sed *exotericis* ita dictis, ὅτι ἔπερὸς τὰς γνησίους ἀρεσάτας ἐγράφη, ἀλλὰ οὐκ εἰς τὴν κοινὴν ἢ τῶν πολλῶν ὠφέλειαν, ut loquitur *Philipponus comm. CXXXIIX. in i. de Anima*. In quibus ea propter non perpetuò veris & propriis: sed sæpè communibus & alienis principiis utitur. Quod ei nullibi magis quàm in ipsis problematibus & inter ea incitato quoque ex *sect. XI.* solvendis usu venit. Nempe quæstionem ibi decidit ex mente *Democriti*: cui tamen decisioni mox ex propria aliam eamq; veram subdit, quæ apud ipsum videri potest.

§. V. Verùm parùm fortassis interest, quot & quales sententia hæc, quæ corpus aliquod lumen esse statuit, defensores agnoscat, cognoscere? Quid enim juvat tot & tantos dogmatis aliqujus laudare posse patronos, si verum non sit, quod præcipuum, cujusque est ornamentum? Profectò veritati nemo mortalium, quantus quantus etiam sit, præjudicare potest. ἡ γὰρ πρὸς τὴν ἀληθείας τιμητέος ἀνὴρ, ait *Plato lib. X. de Rep.* Neque cum qui sapientia litat, auctoritates venari oportet, sed, ut idem *Plato* alibi ait, *θερευτὴν* esse τῆς ἀληθείας; Digna sunt quæ hic legantur verba, *Aristotelis* ex *i. Moral. c. VI.* ἴσως δ' ἂν δόξειε βέλπιον εἶναι ἢ δεῖν ἐπισωτηρία τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεία ἀναίρειν, ἀλλός τε καὶ φιλοσόφος ὄντας ἀμφοῖν γὰρ ὄντων φίλοι, ὅσον πρὸς τὴν ἀλήθειαν. Quæ ita commodè reddideris: *Videtur verò satius esse ob veritatis salutem etiam propria (decreta) evertere, præsertim si Philosophi (sapientia cultores) audire velimus. Dum enim ambo (& veritas & amor nostri) nobis cura sint, æquum est veritatem in honore præferre.* Verior autem, ut nos putamus, est sententia, quæ negat lumen esse corpus, quàm quæ asserit. Illi igitur meritò (salvo tamen semper aliorum judicio) nostrum subjicimus calculum, etsi hæc non deseratur à viris ingenio valentibus & nostrâ laude majoribus. Ne tamen sine ratione ab his recedere videamur, producamus ea, quæ

movent

moveat nos quò minus hanc, cui isti favent, nobis persuaderi patiamur opinionem.

§. VI. Atq; ut hinc ordiamur, initio, ponamus illud, quod optimis quibusq; Philosophis summo operè placuisse videmus, substantiam nullam (aut saltem non eam, quæ *πυρρώς* substantia est h. e. *ἠερμαρην φύσιν* & in genere naturæ τὸ δε τι significat) per se cadere sub sensus. Declarat id inductio (*declarat*, inquam: *ἡδὲ γὰρ ὁ ἐπιπέδων ἴσως ἀποδείκνυσιν, ἀλλ' ὁμοίως δηλοῖ τι, lib: II. de dem: c. V.*) Non enim pomum v. g. secundum substantiam suam videmus, olfacimus, gustamus, tangimus: sed colorem ejus videmus: odorem ejus olfactu: saporem gustu: asperitatem vel lævitatem tactu dijudicamus. Sic nec aërem audimus, sed sonum in aëre (in aëre dico: Quoniam sonum *ἀπλωῶς* vel *εἶναι* soni similiter non sentimus, sed intellectu apprehendimus *P. I. III. de An: c. V.*) Per accidens igitur substantia quædam cadit sub sensus, id est, non quâ substantia est, sed quatenus imbuta velut & tincta est accidentibus nonnullis colore scilicet, sapore, odore &c; quorum quodque per se proprium ferit sensum vel etiâ ratione motus, figuræ, & aliorum talium, quæ communibus sensibilibus annumerantur. Ita nos docuit Philosophus noster in *II. de An: c. VI.* ubi inter cætera: *κτ' συμβεβηκὸς λέγεται αἰσθητόν. οἷον τὸ λευκὸν εἶναι διαφανές ἢ ὄρα. κτ' συμβεβηκὸς γὰρ τῆς αἰσθήσεως, ὅτι τῷ λευκῷ συμβέβηκε τῆς ὄρας, & αἰσθήσεως.* Per accidens sensibile dicitur, v. g. si album sit Diaris filius: Per accidens enim hic sentitur: quoniam albo, quod sentitur, accidit. Ergo, ut concludamus tandem, substantia nulla (aut saltem non eam, quæ *ἠερμαρην* π est, qualis est naturale corpus) per se ferit sensum. At lumen per se cadit sub sensum, visum scilicet; quod experientia ubertim confirmat. Quomodo ergò substantia, saltem *ἠερμαρην* est: quomodo corpus aliquod est?

§. VII. Novi equidem esse vel in medio *Peripatu*, qui dicant lumen per se non terminare visum, sed ad visionem solum requiri ex parte mediæ, quod illuminatum esse oporteat, siquidem visio elici debeat. E quorum numero & *Averroëem* fuisse dicunt, celeberrimum inter *Arabia* sapientes. Dubito tamen valdè an veritati satis congruat hæc sententia. Nam & per medias tenebras videri quid posse compertum est sufficienter. Sanè ex loco tenebris
etiam

sect. XXXI
problem.
XXIX.

etiam densissimis obsito & in quo nec manum oculo ad notam dignoscas, non solum ignem procul existentem videmus, sed & corpora igne illustrata, quod accidit saepius viatoribus noctu iter facientibus. Quis autem tum medium illuminatum dixerit? Idem & interdiu notare licet. Si enim ex obscuriori loco velut antro quodam inspiciamus corpora à Sole illustrata, non minus per medium illud umbrosam cernemus, quam si ex lumine intueremur. Imò magis quam si ex lumine. Quæ namque in obscuriori locata sunt, ne quidem cernere possumus ex lumine. Ideò interdiu nigra apparent, quæ intra ædium parietes sunt, si ex loco illuminato inspiciamus. Et cur solemus manum lucernæ aut soli objicere, cum acutius videre volumus, si medium illuminatum ad visionem est necessarium? Puteorum quoque fossores nobis edisserunt se de die stellas conspiciari: quod & per fistulam longam oculo admotam contingit. Quæ omnia, nisi fallor, satis ostendunt medium illuminatum non esse præcisè necessarium ad objecti visionem. Sed esto necessarium, non tantum ob id lumen ipsum per se visibile esse negandum est, cum id quotidiana fermè constet experientia. Quoties enim lumen Solis in parietibus splendere videmus? Et familiaris est experientia, quâ imago Solis splendens per foramen in conclave obscurum excipitur ac in charta aut alio albo depicta oculis subjicitur. Neque verò ullum secum trahit incommodum, dicere lumen conferre ad aliorum v. gr. colorum visionem & tamen ipsum per se esse visibile. Utrumque certè asserere non dubitat Alexander, qui, si mihi rectè est, non adeò obtusi & crassi fuit iudicii, ut in una linea ἀντίφασιν assereret in lib. 1. de An. c. XVI. τὸ μὲν Φῶς μάλιστα ἐστὶν ὄρατόν, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ὄρατοῖς αἴτιον τῶ ὄρατοῦ γίνεται. Quin similia his habet ipse Aristoteles in II. de An. c. VII. τὸ γὰρ ὄρατόν, ὁ λόγος μὲν, ἐστὶ χρώμα· τὸ δὲ ὅτι τὸ ὄρατόν καὶ αὐτὸ ὄρατόν καὶ αὐτὸ δὲ, ἢ τῷ λόγῳ, ἀλλ' ὅ, ἵτι ἐν ἑαυτῷ ἔχει τὸ αἴτιον τῶ εἶναι ὄρατόν· διόπερ (τὸ χρώμα) ἔχει ὄρατόν ἀντὶ φωτός, ἀλλὰ πάντως ἐπαισιν χρώμα ἐν φωτὶ ὄρατόν. Quibus verbis duo dicit, videlicet colorem esse visibilem, quia est in eo, quod secundum se visibile est, id est in lumine: esse autem hoc secundum se visibile, non λόγῳ, id est ratione vel definitione: quasi dicit: non inest lumini ratio visibilis, sed è converso visibili ratio lumi-

luminis: visibile enim unumquodque esse propter lumen. Non aliter *Theophrastus* (hic enim Autor libri de coloribus esse existimatur) hac de re iudicat: τὸ φῶς, αἶτ, μόνον δι' ἑαυτῆς ὁρατὸν γίνεσθαι, τὰ δ' ἄλλα διὰ τῆς. Solum lumen per se visibile existit, reliqua autem ob illud. Sed quid verbis opus est, cum rerum adsint testimonia, quæ paulò ante lustravimus. Posset idem quoque ex ratione colorum deduci: Sed quia angustia chartæ id non permittit, reservabimus id *Exercitationibus* nostris de PRIMO COGNITO. Interim ex dictis evidens est lumen per se esse visibile, neq; habere adversam partem, quod in minore desideret.

§. IIX. At sunt qui arietem majori admovent. Memini enim me audiisse quondam nonneminem ad rationis nostræ §. VI. adductæ majorem dicere, eam vel ex proprio *Aristotelis* & Græcorum ejus Interpretum iudicio esse falsam. Hos namq; esse, qui stuant calorem, frigus, humiditatem & siccitatem esse formas elementorum: indeque prognatum esse illud: ἀπὸ μὲν οὖν εἰσὶν αἱ *lib. II. de*
Διαφοραὶ τῶν σώματων, ἢ σώματα λέγω δὲ Διαφοραὶ, αἱ τὰ στοιχεῖα *An. c. XI.*
διορίζουσι, θερμὸν, ψυχρὸν, ξηρὸν, ὑγρὸν. Tactilia sunt differentie cor-
poris quæ corpus est. Dico autem differentias, quæ distinguunt elementa,
nimirum calidum, frigidum, siccum, humidum. εἰδοποιοὶ γὰρ τῶν πρώτων
στοιχείων θερμότης, ψυχρότης, ὑγρότης, ξηρότης, quod addit Themis-
sius in Ὀὐραν. Eodemq; pertinere, quæ leguntur in III. de cælo
c. VII. & II. Phys. c. III, ubi ajat Philosophus: Sensibilia corporum
(qualia sunt elementa) principia (saltim quædam) esse sensibi-
lia. Cum igitur materia elementorum non sit sensibilis, formas &
differentias eorum tales esse debere: idque fateri rursus Philosophum II. Gen. & corr. II. Atqui formas substantiarum (elementa
autem sunt substantiæ) esse substantias, & hoc manifestum esse ex
V. Met. IIX. & XIV. c. IV, ubi calorem & frigus expressè οὐσίας di-
cat. Quasdam igitur substantias per se cadere sub sensum ex ipsius *al. est lib.*
Aristotelis sententia, cum quo unanimiter sentiant Græci. *XII.*

§. IX. Equidem negare non possumus, Græcos *Aristotelis* interpretes ferè omnes (omnes certè, quos nobis quidem hæcenus videre conrigit) ita sentire. *Alexander* enim apertè dicit in 1. de *An. c. 2.* calorem & siccitatem esse εἶδη τῆς ἰσχύος, i. e. formam. Idemq; habet in 2. *Nat. quest. XI,* & infinitis aliis locis. Similiter *Philo-*

B

ponus

panus in II. de Gen. & corr. init. qualitates primas Elementorum vo-
 cat ἐναντιώσεις εἰδοποιούς: & εἰδοποιούντων in c. X. ejusdem. Simpli-
 cius etiam easdem διαφορὰς τῶν στοιχείων πρώτας vocat in II. de
 An. c. XI. iisdem; ea οὐσιούσας ait in I. de celo comm. XXIX: in specie
 autem in lib. categ. c. II. calorem dicit esse τὸ μέγιστον τὸ πρὸς συμ-
 πληρωτικόν. Cui faciem prætulit Ammon. qui calorem, frigus &c.
 οὐσίας dicit ἢ συμπληρωτικά sunt πρὸς καὶ ὕδατος, καὶ τῶν λοιπῶν
 στοιχείων. Nec aliter hac de re sentiunt Jamblichus, Olympiodorus,
 Porphyrius, Dexippus, Psellus & alii. An autem idem cum his sen-
 serit Aristoteles & an vera sit hæc Græcorum Interpretum sententia
 dubitare cœpit Averroës: & dubitat adhuc tota penè Latinorum
 Schola, apud quam ea propter ille parum objectione sua profece-
 rit. Sed nec Græcis adeò curta est suppellex, quin ex eâ responso-
 nem aliquam depromere ipsis liceat. Nempe dicent illi calorem,
 frigus, humiditatem, siccitatem esse quidem sensibilia, sed non sen-
 tiri quatenus sunt elementorum formæ i. e. quatenus sunt ἐξῆς in-
 ternæ, seu non sentiri actum primum caloris, frigoris &c. qui est
 forma (saltem ex hypothese Græcorum), sed actum ejus secundum
 solum. Hinc fieri ut non sentiamus frigus in aquâ calida, etiam si
 adsit secundum ἐξῆς & actum primum, quia non exserit actum
 suum secundum. Verum nulla nos modò urget necessitas, ut nos
 huc demittamus. Major enim nostri argumenti non de quavis
 loquebatur substantia; sed de ea que ὡρισμένη φύσιν habet & inge-
 nere τῆς φύσεως τὸδε τι dicitur: qualis substantia est ignis, aër, a-
 qua & quæ ex his mixta sunt, aut, ut simpliciter dicam, omne cor-
 pus naturale. At tales οὐσίαι non sunt calor, frigus, humiditas,
 siccitas posito etiam, quod sint formæ elementorum. Forma enim
 non est determinatum quid, sed ipse ὄρος: nec τὸδε τι, sed id per quod
 alterum est τὸ δε τι, ut diximus in Exercit. I. de def. τὸ ἐν ὑποκει-
 μένω. Vagatur ergò instantia ista extra oleas, quoniam non subsu-
 mit sub subjecto propositionis, ad quam danda erat instantia,
 quod vitio non caret. Vid. lib. II. de Syllogismo c. XXVI.

§. IIX.

§. X. Erat unum pro sententia nostra argumentum. Sequi-
 tur nunc alterum. Ad cuius pleniorum intellectum duo supponi-
 mus I. non posse naturaliter duo corpora esse simul in eodem loco. Pro-
 bat id Johannes Philoponus comm. in IV. Phys. ex Aristotele hoc mo-
 do

do: Nam, inquit, si corpus unum aliud penetrare atque adeo duo corpora in uno loco naturaliter esse possent, tum naturaliter quoque fieri posset, ut maximum corpus in minimo reciperetur: pelagus v. gr. in cyatho & cœlum in grano milii. Potest enim maximum quodque corpus in partes minimo æquales dividi v. gr. pelagus in totidem mensuras cyathi, ut his tota moles pelagi atque ambitus expleatur. Neque id mirum, quoniam omne finitum quantiscunq; æqualibus finitis sublati consumitur. Si ergo duo corpora æqualis magnitudinis naturaliter esse possunt in eodem loco, cur non etiam tria vel quatuor vel centū vel mille, vel plura? Nulla namque ratio nos cogit asserere id de duobus & negare de pluribus corporibus. Quod si verò & illud admittatur, manifestum jam est naturaliter fieri posse, ut pelagus in cyatho & cœlum in grano milii recipiatur. Quod quidem ingens absurdum est & *Φυσικὸς ἀδύνατον*: absurdum igitur & naturaliter impossibile quoque est duo corpora esse in eodem loco, quod erat probandum. Neque verò contrarium evincit, quod experientia comprobat, vas cinere plenum tantundem aquæ recipere, quantum si inane sit: Id enim non ideo fit, quasi aqua cinerem intime pervadat & in eodem cum eo spatio permaneat: Sed, quia cinis calidus aquæ immissus eam in vaporem & halitum solvit: cum quo & unā cineris partes aliquæ, tenuiores nempe & calidiores exhalant. Quò accedit quod in cinere plures sint meatus, quibus extruso prius τῷ πύρρι aqua sese insinuat cineremq; addensat factā particulatim constipatione: unde cinis collabitur & subsidet. Sed de hoc alias plura. Qui volet, interea legat *Aristotelem* in *sect. XXV. probl. IIX.*

§. XI. Alterum, quod supponimus est hoc: *Non dari in naturâ vacuum.* Ubi quidem voce *Vacui* non utimur *ex consuetudine vulgi* pro spatio excludente non omne corpus, sed illud ad quod recipiendum est destinatum: quomodo vacuum dicere solemus *vas*, in quo non est aqua, vinum vel alius liquor, cui recipiendo illud est factum: & *piscinam*, in quâ non sunt pisces: & *navigium* comparatum ad vehendas merces, si solis arenis sit onustum: Sed *vacuum* hic dicimus, in quo nullum est corpus ita ut circa illud intervallo aliquo abjuncta disposita sint corpora. Vid. *IV. Phys. c. IX.* Tale vacuum in naturâ non dari asserimus: impediret enim, si daretur, causa-

rum operationem per medium diffusam & faceret ut infima hæc corpora demissis è coelo viribus fecundata sterilecerent: quin & motum secundum locum tolleret: quoniam hic est mutatio ipsius contactus, vel secundum totum vel secundum partes; in vacuo autem nihil tangitur, ideo nulla est successio partium se invicem tangentium, in quâ motus iste consistit. Sequerentur & alia inconvenientia, de quibus consulendus est *Aristoteles in IV. Phys.* Hinc natura adeo horret vacuum, ut levia sæpè nulla externa vi impellente descendant & gravia nullis alligata vinculis suspendantur aut etiam ascendant saltim metu vacui. Sic vacui horror reserato infernè epistomio, supernè autem probè ocluso vase vinum in pleno dolio suspendit ac intercludit, ut effluere ei non liceat: ocluso enim supernè vase non posset corpus ullum sese in abeuntis vini locum insinware. Vacui porrò horror aquam attollit in Siphone inflexo: attracto enim aëri aqua succedit, ne intervallum inane relinquatur. Nec alia causa est, cur aër utribus inclusus, si hi penitus occludantur, ne possit ille evadere, imposito ponderi obnititur hominemq; sustentat, nisi quod à vacuo abhorreat natura. Placet his subjungere aliud experimentum, vulgare tamen: si quis in olla (quod si vitrea illa & pellucida sit, commodior erit observatio) succensâ intus chartâ rarefaciat & excludat aërem; protinusq; totam ollæ inversæ marginem liquoris alicujus superficiei *equaliter* applicet, ut aëri ingressus à latere denegetur: experietur, coëunte propter frigus aëre in olla residuo & decrescente, liquorem ascendere, & in ollam elevari: ratio à prædicta alia non est. Cujus fidem nondum infrangit fistula illa *Valeriana*: quod enim in ea vacuum non sit, ostendunt subsaltationes illæ, quibus mercurius in fistula cietur: ostendit & sonus, qui in ea excitatur: hic enim indicat inter vitrum & mercurium tertium aliquod (quodcunq; etiam illud sit) interjectum esse corpus, quod elidatur: ostendunt etiam densitas, raritas, lumen, tenebræ, colores & similia, quæ in ea producuntur non certè ex nihilo, quoniam hoc vires naturæ longè superat. Sed & de his, si Deus voluerit, alibi plura. Nunc ad propositum nostrum revertimur, quod erat novo confirmare argumento lumen non esse corpus.

§. XII. Experimur quotidie lumen sine ulla offensione, non

MO-

modò aëris & aquæ corpus intrinsecus undiq; permeare! sed & per
 vitri & crysalli constipatisimi crassitiem se non aliter quàm spi-
 ritum, inoffensum & sine resistantia transfundere. At hoc præstare
 non posset, siquidem corpus esset: concedenda enim esset pene-
 tratio dimensionum: & naturaliter duo corpora in eodem spatio
 simul essent, quod est ἀδύνατον juxta *hypp.* §. X. Quod inconve-
 niens (ut hoc obiter moneamus) non sequitur, si lumen qualitas
 esse statuatur. Qualitates enim sicut subjectū suum in longum, la-
 tum & profundum sine ulla resistantia perfundunt: Ita simili facili-
 tate per soliditatem mediū corporis inoffensæ transeunt: quoniam
 nullam ex parte suā quantitatem afferunt, quā cum mediū
 quantitate decertent & eam loco depellere conentur. & τὰ ἄλλα
 συμβεβηκότα κωλύει (quo minus scilicet duo corpora statuatur
 esse in eodem loco) & γὰρ θερμότης ἢ ψυχρότης ἢ λευκότης ἢ μελα-
 νία τὸν ὄγκον μείζονα ποιοῦσι, ἀλλὰ μόνον τὰ διαστήματα, quæ cor-
 pori per se insunt, ait *Themistius* in *IV Phys.* ὁ δὲ φῶς. Argumentum
 hoc, quò modò usi sumus, est ipsius *Aristotelis* in *II. de An. c. VII.* ibiq;
 his expressum legitur verbis: εἰρηται ὅτι (τὸ φῶς) ἔτε πῦρ, ἔθ' ὅλως
 σῶμα, ἔτε ἀπορήρη σῶματ' ὁ δένος. εἴη γὰρ ἂν σῶμά τι καὶ ἔτος. ἀλ-
 λά πυρὸς ἢ τοιστε τινὸς παρεσία ἐν τῷ διαφανεί. ἔδὲ γὰρ δύο σῶμα-
 τα ἅμα δυνατὸν ἐν τῷ αὐτῷ εἶναι. Quibus lumen affundere possunt,
 quæ ex *Alex. lib. II. de An.* subjungimus: ὅλως δὲ εἰ τὸ φῶς σῶμα
 δῆλον ὅτι τόπον κατέξῃ καὶ ἴσ' ἔτι πῶς τίς ἐν ὁ τῷ φωτὸς τόπος. ἢ γὰρ ὁ
 αὐτὸς ἔσαι τῷ φωτὸς καὶ τῶν διαφανῶν, καὶ ἦτοι ἐκείνα ἔσῶμασος, ἢ
 σῶμα διαστήματος διελύσει. καὶ δύο σῶματα τὸν αὐτὸν κατέξῃ τό-
 πον. ἢ εἰ ταῦτα ἀτοπα, ὅκα ἔσαι τὸ φῶς σῶμα. γελοῖον γάρ τι τὸν μὲν
 λίθον τὸν διαφανῆ, ἢ τὴν ὑάλον μὴ λέγειν εἶναι σῶμα, τὸ δὲ φῶς λέ-
 γειν. H. c. *Universaliter verò si lumen corpus est, manifestum est, quod
 necessarium sit, ut locum occupet & sit alicubi. Quis igitur erit luminis
 locus? Vel enim idem erit luminis & pellucidorum: & vel hæc non erunt
 corpora, vel corpus unum penetrabit alterum: & duo corpora eundem
 occupabunt locum. Vel si hæc absurda sunt, lumen non erit corpus. Ridi-
 culum enim est pellucidum aliquem lapidem vel vitrum negare esse cor-
 pus, lumen autem esse (corpus) asserere.*

§. XIII. Ecce autem tibi, quid illi contra: Poros dicunt esse
 & meatus in aëre, aqua, vitro, crysallo & similibus perq; hos transi-
 re



text. 69.

re lumen, non per crassitiem illorum corporum. Verba audimus: quod pectus exsaturet, audire cupimus, ast nihil tale audimus. Quanquam nihil novi dicant, sed antiquam solum repetant cantilenam, quam nobis jam olim cecinit *Platonius Proclus*, qui & ipse agebat τὸ φῶς καὶ ἀνεμαρτίζομενον διὰ τῶν πόρων ἀλλήλων διέναι, lumen in minutas partes dissectum per poros ultro citroq; transire, ut testatur de eo *Simpl. comm. in II. de An. c. VII.* At quâ ratione nobis persuadebunt dari in aquâ & aëre poros, cum corpora fluida sint, quæ undiq; collabi soleant? Abstrahere vel minimam guttulam ex aqua & videbis reliquas partes illicò confluere, ne ulla cavernula relinquatur. Crystalli quoq; & vitra, cum ex uniformi liquida materia concreverint, minimè porosa sunt: aut saltem non talibus instructa sunt poris, quorum oscula ita sibi mutuò congruant, ut ab uno in alium continuo tramite pateat via, qua incedentes tenuissimæ naturæ totum eorum corpus pererrare valeant. Dicunt quidem dissentientes, esse vitro tales poros. Hinc *ad objectionem*: Si per poros lumen permeat vitrum, quidni magis alia corpora, quæ majoribus poris quam vitrum sunt pervia? reponunt. *Causa clara est. Quoniam in aliis corporibus pori non sunt recti. Quemadmodum autem foramen in muro, si rectum sit, lumen in cubiculum transfert, non si recurvum. Ita recti in vitro pori radios transmittunt, in aliis vero corporibus cum recurvi sint, non possunt.* Dicunt igitur vitrum rectis & continenti ordine perforatis dehiscere poris. At dicunt, non probant. Quare non agrè ferent, si, eâ tamen, quâ par est, modestiâ, ab illis dissentiamus, cum ad dissensum talem nos provocet experientia ipsa, quam adjicio. Si quis vitro solido & continuato inclusus sit, & foris proximè vitrum altissimè clametur, nihil audiet iste: perspectum enim multis est hominem extrinsecus loquentem, ore ad contactum vitri applicito, minimè exaudiri ab eo, qui intus ei colloquitur: quod sanè non contingeret, si vitra tantâ & tam spissâ rectorum pororum multitudine pertusa essent: quandoquidem ne ferrum quidem, si quis ei inclusus lateat, prohibere possit, quo minus is alterum foris vociferantem audiat. Poros namq; habet, quoniam per contusionem compactius & firmiter redditur minoremq; occupat locum, coactis videlicet & compressis poris.

§. XIV. Objecerat experientiam hanc *Cartesio Libertus Fromon d'us*

mondus Lovaniensis Philosophus celeberrimus: sed aliam non res-
portavit responsionem, nisi hanc: *Vitrorum poros non esse idoneos ad
transitum vocis? neq; id mirum esse, cum tapetia, quibus cubiculorum
vestiuntur parietes, longè patentioribus poris hient, & tamen vocem visè
aut surdè admodum transmittant.* Sed profectò non satisfacit Fro-
mondo vir nobilissimus. Ratio quippe, ut hanc de suo nobis largia-
tur Fromondus, cur tapetes & omnis panni textura voces & sonos obtun-
dit, est in propatulo: quod videlicet panni textura innumeris lane floccu-
culis ac tenuissimis flocculorum pitis composita, dispergat sonos, ne integri
& offensi per panni & lane poros transcant, sed infinitis propemodum
reflexionibus hanc illac resiliant: quod in vitri textura minimè omnium
locum habet. Hæc vir laudatissimus in epistola ad Vopisc. Fortunatum
Plempium in Academia Lovaniensi Medicinæ Doctorem. Stat ergò ad-
huc, vitrum non agnoscere poros aut saltim non ita sibi congruen-
tes, ut ex alio in alium iter pateat.

§. XV. Tinniunt tamen, inquit, vitra. E. porosa sunt. Nam
& Scaliger ex tinnitu colligit æs abundare poris. Verum Aristoteles
causam tinnitus æris penes lævitatem ejus quærit ὁ μὲν χαλκὸς ψό-
φον ποιεῖ, ὅτι λεῖς: *Æs sonum edit, quia leve est,* in II. de An. c. IIX.
Lævia autem non videntur spissa aliqua meatuum multitudinem esse
perforata: quoniam ejusmodi sunt ἄρα τὸ ἀπράγες ἢ τὸ συνεχές, scilicet
XI. probl. VII. Non tamen negamus cæteris paribus corpora, quò ma-
gis sunt porosa, eò clarius sonare. Ideò n. fortè æs campanum ma-
gis est sonabile quàm plumbum. Sed habeat poros vitrum & ideò
fortius sonet, numquid ideò recti erunt ejus pori & tam continenti
ordine perforati, ut radius corporeus ex uno in alterum deinceps il-
labi & totam vitri crassitiem pervadere possit? Minimè verò. Imò
εὐλογον est contrà potius se habere, quod magis sensibile est, ut τῆ ἀ-
νακλάσει πολλάς ποιῆ πλεγάς μὲ τὴν πρῶτην, ἀδυνατῶντ ἐξελθεῖν
τὸ κινηθέντος, quæ sunt Aristotelis in II. de An. c. IIX. Aut si nihilomi-
nus hæc de causa in vitro concedendi sunt pori recti, concedendi ex
eadem causâ etiam erunt in argento, campanis & similibus. Cur i-
gitur hæc radios non transmittunt?

§. XVI. Cum neq; sic quicquam proficiant, ad aliud asylum
confugiunt. Tempore hyberno, inquit, clarè videmus, manè su-
perficies interiores vitri fenestrarum sudare vel etiam glaciei bra-
ceola

steola esse superinductas. Unde autem hoc? nisi quia vapor ex aëre libero per vitri poros in conclave evocatus vi frigoris concrefcit & vitro post transitum adhæret. Verum *μη δὲ τὸ*. Nam vapor brumali tempore densatus longè difficilior meatum angustis se insinuare potest, quam æstivarum noctium tempore attenuatus. Cur ergò autumnii aut æstatis noctes non pariter irrorant fenestrarum vitra? cum & subtilior vapor facilius penetrare valeat, nec desit sufficiens frigus ad vaporem in guttas cogendum: cum & herbæ & ligna matutino rore aspergantur & inebrientur quasi, altissimis montibus parcissimè irroratis, quod argumento est, rorem in infimâ aeris regione generari. Cur etiam hyeme non æquè utramq; vitri superficiem, exteriorem & interiorem vestit tenuis glaciei bracteola, sed exterior quâ, plurimus vapor, ut hi ajunt, venit, arida perseverat? Alia ergò afferenda causa est. Nempe aer vel vapor calidus internæ vitri faciei contiguus ab extrinsecò frigore vitrum refrigerante, refrigerascit, in guttulas coit & demùm congalescit. Cujus simile & in aliis quamplurimis experimur. Sic enim halitum oris incurrentem in speculum aut marmor aut æs politum, vel etiam ferrum aut chalybem politum, in guttas densari videmus: Et cantharum frigidum importatum in vaporariû calidum, velut sudare deprehendimus: quod & in ense è vagina educto similiter observamus. In primis autem huc facit, quod etiam ferventissima æstate cernamus, simul atq; aqua vel vinû frigidum vitreo vasi infusum est, illicò exteriorem vasis faciem pinguescere & humorem per eam guttatim defluere. Incredibile autem est vinum vel aquam per poros tam uberim & tam festinanter transfudare.

§. XVII. Quod si his non obstantibus adhuc rectos vitro inesse poros existimant & tam decenti ordine pertusos, ut sine obstaculo radius corporeus ex uno in alterum elabi, totumq; vitri corpus penetrare valeat, dicant nobis quâ fiat, quod pori isti spiritibus chymicorum tenuissimis & maximè fugacibus in vitreo vasculo liquenti vitro elauso non præbeant exitum. Nunquam enim si vasculum ita clausum nec disruptum aliunde sit, inde avolasse deprehenduntur: cum aliàs nisi ita clausum sit, temporum inclinationibus non ita multis recurrentibus, perquam tenues rimulas, ad ingenium suum redeuntibus avolasse cernant. *r. Dicunt: Attamen*
 spiri-

Spiritus per vitrea etiam vasa olfacimus, quod effluere eos per poros vitri indicat, et si spirituum diminutio hæc sensum fugiat: odor enim nihil aliud est quam καπνώδη ἀναθυμίασις, fumida quadam exhalatio: neq; quicquam olfactu percipitur, nisi spiritus odoriferi, qui rebus odoratis exhalant, usq; in nares & organum ipsum olfactus penetrent: Quod & Plato agnovit, ut testatur de eo Ammonius in lib. categ. c. II. his verbis: Ἰστέον ὅτι πλάτων φησὶ μετὰ τιῶν ἀπορροίων τὴν ὀσμὴν τῆς μήλης χωρεῖν πρὸς ἡμᾶς, μὴ χωροθεῖσθαι τῆς ὑποκειμένης. Illud scitu dignum est Platonem affirmare pomi fragrantiam ad nos cum quibusdam defluviis evadere minimè à subjecto disjunctam. Inde in Timæo omnem ὀσμὴν καπνὸν dicit esse ἢ ὀμίχλην, λεπιοτέρου μὲν ὕδατος, παχυτέρου δὲ αἰέρος. Quod si nihil olfactu percipitur, nisi spiritibus odoriferis à rebus odoratis in olfactus organon missis, necesse sanè est ut spiritus, quos per vitrea vasa olfacimus, diminuantur & per vitrum in nares nostras penetrent, quod qui fieri posset, si pori vitro denegantur?

§. XIII. Quamvis verò non negemus, effluvia quædam è nonnullis odoratis v. g. maturis fructibus, aromatibus & similibus emanare nostrisq; sese insinuare naribus: universale tamen illud esse & sine hoc olfactum nunquam actum suum exserere posse dubitamus. Si enim aliquid per expirationem semper à corporibus odoratis delibaretur, minora certè ob eã rem effici oporteret: quemadmodum & evaporationem talem odoratos arborum fructus, ut pomorum genus omne spatio temporis contrahi & corrugari videmus. Nunc autem quæ odoratissima sunt ut moschus & alia ejusdem, non videntur notabili decremento molem suam expirare, sed potissimum eadem permanere, ut Aristoteles ait in XIII. sect. probl. X. Ammonius cit: loco alià adhuc utitur ratione. Platonis, inquit sententia λέγειν μετὰ ἀπορροίας τὴν ὀσμὴν χωρεῖν πρὸς ἡμᾶς, per omnia vera non est. ἢ γὰρ ἀπορροία, σώμα: πάντες δὲ σώματα, ἢ κατὰ φύσιν, κίνησις. ἢ γὰρ κενόν, καὶ ὅτι τὰ ἄνω ῥέψῃ, ἢ βαρὺ, καὶ ὅτι τὰ κάτω. τῆς δὲ εὐωδίας τῆς μήλης, πάντες ὁμοτίμως αἰσθάνομεθα: ἄνω: κάτω. πρὸθεν. ὅπισθεν. δεξιᾷ: ἀριστερᾷ: καὶ δῆλον ἐκ τούτου, ὅτι σὸκ ἀρκεῖ μόνον ἀπορροίας εἶπεῖν. Effluviium enim corpus est: omnis autem corporis secundum naturam est motus. Nam aut leve est & petet superna: aut grave & declinabit ad inferna. at odorem mali equè omnes sentimus, sive supra

C

locati

locati simus, sive infra; sive antè, sive retrò; sive ad dextram, sive ad sinistram: patetq; ex hoc non satis esse effluvia duntaxat dicere. Oderigitur nonnullorum corporum species intentionales solum mittet sine ulla corporali exhalatione, quæ usq; ad nares olfacientium odorem vehat. Certè pisces intra aquam escas odorantur, ut fatetur *Aristoteles lib. de sensu c. V.* nec tamen gelidæ & humidæ piscium escæ ullam fumidam exhalationem per aquam spargere videntur, quæ odorem organis, quibus olfaciunt pisces, invehere possit. Idcò intentionali solum actione videntur olfactum piscium immutare. Quod si simili actione spiritus in vitreis vasculis contentos nostrum immutare olfactum dixerimus, non ob id vapularemus; ad talem autem fortassis opus non est, ut poros in vitro fingamus. Sed nulla nos modò cogit necessitas ut huc dilabamur. Quid enim si dicamus non spiritum in vitreo vasculo contentum per mediū illud ab olfactu nostro percipi, sed partem aliquam (aut odorem ejus) spiritus in liquorem coacti, quæ extrinsecus vasi adhæsit? Aliàs enim si vas liquenti vitro clausum sit, spiritum haudquaquã olfactus noster percipit. Hinc nemo est, qui phialæ lateri ad motis naribus inclusi corporis odorem exploret.

§. XIX. Nondum omnes, quibus sententia contradicentium premitur, per mensi sumus difficultates. Nam si verum esse putant, quod asserunt, lumen in vitri illabi poros, & quidem rectos & sibi ita congruentes, ut ex una via in alium pateat, dicant nobis, quomodo radii Solares in vitris ustoriis sese colligere tantamq; quantum experimur, vim exserere possint? cur non potius recto tramite per poros eorum transeant, cū nihil sit quod transitum talem præcludere possit? Dicant etiam quæ fiat, quod lumen in cavitatibus vitri visum feriat, cavitates autè ipsæ sub visum prorsus non cadant? Neq; quicquam eos juvat, quod dicant inanitates istas esse minutissimas & ob parvitatem nimiam fugere sensum. Quis enim credat quidpiam tam exiguum esse ut sensum fugiat, & tamen intra terminos suos complecti corpus aliquod, quod efficacissimè sensum feriat? Dicant etiã quæ fiat, quod integra corpora lumine imbuta intueamur, si in poris saltim eorū lumen latitat? Id quod jam olim quaesivit *Alexand. in II. de An.* ἐπι πῶς ὁμαλὲς ἔσαι τὸ Φῶς ἐν τῷ ἀέρι μόνων τῶν πόρων ἔχόντων αὐτὸ. εἴθε ἐνθα μὲν ἴσθι τὸ Φῶς τὸ πεφωτισμένον.

τὸ το

τὸ δὲ εἶναι οἱ πόροι. ἐνθα δὲ αἴρ, ἢ ἀλλό τι τῶν Διαφανῶν σῶμα μὴ πε-
 Φώτισαι. Dicant quoq; quomodo si lumen in poris aëris & aquæ
 est, ipsum non una ad fluxum aëris & aquæ locum mutet, sed in co-
 dem maneat loco? Quod ipsum quoq; quondam ut explicaretur si-
 bi petiit Alex. ἐπὶ εἰ τὸ Φῶς σῶμα ὄν ἐστιν ἐν τοῖς τῶν αἰέρος πόροις ἢ τοῖς
 τῶν ὕδατος, πῶς, ἢ τῶν ὕδατος ῥέοντι, ἢ τῶν ἀνέμου μετακινουμένῳ, &
 συμμεταφέρεται ἢ συγκινεῖται ἢ αὐτό. ἀλλ' αἰεὶ ἐν τῷ αὐτῷ μέρει τῶν ἐν
 οἷς ὄσιν & μενόντων. Quibus addimus ea, quæ leguntur apud Simpl.
 comm. in II. de An. VII. Quomodo, inquit, in aëre lumen est, si cor-
 pus est? εἰ δὲ γὰρ καὶ ἀκερατοζόμενον Διαφανῶν πόρων ἀλλήλων διείσιν, ὡς
 περὶ κλῆσιν ὑποτίθεται. καὶ ὅτι ἡ ὅλη περὶ φωτισμός οὐραται ὁ αἴρ δι-
 ὅλας εἰ αὐτῆ. καὶ ὅτι ὅτι ἂν ἡ τῶν φωτός ἐσώζετο πρὸς τὸ αἴτιον εἰ αὐτῆ
 συνέχεται. καὶ ὅτι ἂν ἡ τῶν φωτός ἐσώζετο πρὸς τὸ αἴτιον εἰ αὐτῆ
 ποδίζόμενον ὑπὸ τῶν ἀντιπυπύοντος εἰ ἂν ἡ ὅλη αὐτῆ ὑφ' ἡμῶν ἐβλέ-
 πτο ὅτι φάσμα ἀδρόως ἢ τῶν ἡμετέρων ὡς φασιν ἀκτίνων Διαφανῶν
 πόρων τῶν Διαφανῶν ἰσῶν. H. e. Non enim in minutas partes dissectum
 ultrò citroq; per poros transit, ut Proclus supponit: tum quia aër totus
 per omnes partes illuminatus videtur: tum quia non servaretur conti-
 nuitas luminis cum causa ejus: tum quia non secundum omnes suas par-
 tes vim suam exfereret lumen, impeditum scilicet à remittente: Neq; to-
 ta ejus à nobis videretur superficies radiis nostris, ut loquuntur, confe-
 ssum per poros pellucidi transeuntibus.

§. XX. Mirari quis posset, quò secunda hypothesis, quam
 supposuimus §. XI. tendat, cum eà in tota secundæ rationis nostræ
 diductione huc usque non fuerimus usi, ad cujus tamen pleniorē
 intellectum eam præmissimus. Factum autem id ejus gratiâ, quod
 nunc adjicimus. Pori isti, quibus lumen corporeum insidere dicunt
 differentes, vel pleni ante fuere corpore aliquo vel vacui, sum-
 pta voce vacui, ut supra §. XI. Si vacui, ergò secundum ipsos jam
 dabitur in naturâ actu vacuum, quod est absurdum & contra hypo-
 thesin II. Si pleni, dicant nobis, quo corpore? & ubi maneat illud
 corpus, quando in ejus locum devenit lumen? an idem occupet
 spatium, quod ante? an loco cedat? Si illud, duo erunt corpora in
 eodem loco, quod est contra hypothésin I. §. X. Si hoc, dicant no-
 bis causam, cur tam promptè lumini cedat corpus & non potius re-
 sistat ei, ne loco suo dimoveatur? Item quò cedat sive in quod spa-
 tium?

rum? num in id, quod aliud continet corpus, an in inane & vacu-
 um? Si illud, dabitur iterum penetratio dimensionum & duo cor-
 pora erunt simul h.e. in eodem loco (Nam & ea dicuntur esse simul
 ὅσα ἐν ἐνὶ τόπῳ ἔστι πρῶτον, lib. V. Phys. c. V.) Si hoc, rursus dabitur
 in natura actu vacuum, quod est ἀδύνατον & contra secundam hy-
 pothesin. Quæremus etiam ex illis, quid fiat post discessum lumi-
 nis, num ei succedat corpus aliquod, quod repleat inanitates illas,
 quæ antè plenæ erant lumine? & quodnam sit illud corpus, item an
 accesserit ex spatio pleno, an vacuo &c. an verò inanitates illæ ma-
 neant vacuæ, donec oriente Sole vel alio luminoso lumen eas de-
 nuò occupet, quod posterius rursus vacuum actu in naturam in-
 ducit contra hypothesin nostram secundam. Subterfugient forsan
 tales quæstiones: at non possunt: Etsi enim sciens non ad quam-
 vis quæstionem respondere teneatur, tenetur tamen ad eam, quæ
 scientiæ suæ finibus continetur, docente Aristotele in 1. de demonstr.
 c. XII. Aut dicent multa nobis esse occulta & ignota: at quid ex
 his animo veritatis cupido persuadebunt? cum doctrina & πῖσις o-
 mnis sit ἐκ γνώσεως τε καὶ λόγου, lib. VI. Topic. c. IV. Et hoc alterum et-
 iam est pro nostra sententia argumentum. Essent nunc afferenda
 & alia, & objectionibus disidentum occurrendum, sed quia hæc-
 nus adducta pagellas, quæ destinatae erant huic disquisitioni, præter
 spem impleverunt, peculiari dissertationi ea quæ residua sunt ser-
 vamus. Hanc autem cum Deo finimus.

Quid LUMEN monstras HEDENE. Futurum ego Temet,
 Si perges, Magnum Lumen in orbereor.

Id quod fovet

M. Calpar Polner Prof. Publ.

Subtile ingenii Lumen ZEIDLERUS in Esse,

Subtile inquiris Luminis, idq; refert.

Te comitem esse juvat: perfusi Lumine cæli

Pergite ad astrigeras, Lumina clara, domos.

Ingeniosissimo Dn. Præsidi & eximio Dn. Re-
 spondenti, Amico suo candidissimo ex
 animo voveb.

H. Spörcke/ Hild. SS. Stud. addi Aus.




AB: 67 $\frac{13}{e,7}$


ULB Halle

3

005 949 122







B.I.G.

Farbkarte #13

IO PHYSICA
 E
 TIONE
IMEN
ORPUS?
 AM
 vno Numine
 T
 lissimo Philosofo.
 dine
 RI SALANA
 RESIDIO
ORIS Zeidlerit
MONT.
 FORUM EXAMINI
 ONIT
INUS HEDENUS
THURINGUS.
Julij.
 RIS SOLITIS.
 N Æ,
 HORI KÜCHEMIL,
 OC. LVI.

7

7

